



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

528. An pensio imposita beneficio regulari reservari possit sæculari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

1. **R**espondeo ad primum: Hæreticos esse incapaces pensionis. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 1. n. 21. citans Gig. de pens. q. 9. 1. n. 9. Ricciull. de jure personar. l. 6. c. 14. Felin. in c. ad audientiam. de rescrip. l. 2. in princip. Rot. in Conchens. pens. 2. 4. Octob. 1594.

2. Respondeo ad secundum: Idem extendi ad filios nepotes hæreticorum, Ventrigl. l. c. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 43. loquens expressè de pensionibus imposterum ab iis obtinendis. ac citans pro hoc Sanch. in decal. to. 1. l. 2. c. 28. n. 35. & 36. Farinac. de heres. q. 191. §. 2. n. 9. Sanctarell. Squill. & c. ac dicens, in materia hæresis pensionem accipi latè sumpto hoc vocabulo. Garc. p. 11. c. 10. n. 74. ubi etiam ex Lamb. de jurep. p. 1. l. 2. q. 9. a. 6. sub n. 7. & Gonz. gl. 15. n. 67. id intelligendum ait, de pensionibus jam prius ab istis filiis obtentis.

3. Respondeo ad tertium negativè: cum suspècti tantum de hæresi nequidem contrahant inhabilitatem ad beneficia vel officia Ecclesiastica. Ventrigl. l. c. n. 21. citans Ugolin. tr. de heresi. c. 28. n. 4. Sanch. in decalog. l. 2. c. 27. n. 29. Lott. l. 1. q. 43. à n. 31. & plures alii apud Farinac. loc. cit.

Questio 527. An, & qualiter pensio constitui nequeat exteris?

1. **R**espondeo ad primum: Dum ex privilegio aliquo exteri capaces non sunt beneficiorum in regno aliquo, videntur quoque incapaces in ibi habendi pensiones; cum eadè ratio militet in pensionibus, quæ in beneficiis, Barb. juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 44. citans Covar. qq. pract. c. 36. n. 9. Baldell. th. mor. l. 5. d. 33. n. 22. ac præcipuè Salzedo, in leg. polit. l. 2. c. 16. per tot.

2. Respondeo ad secundum ex Lott. l. 1. q. 36. n. 90. ubi is ait; plerumque reservat Papa pensiones super beneficiis quarundam provinciarum, in quibus viget pragmatica, ne pensiones referrentur ad favorem exteriorum, tuncque pensionem reservat ad favorem & vitam alicujus curialis originarii illius provincie, ad commodum tamen alterius extranei, quem judicat bene meritum, neque enim juri repugnat, quòd jus pensionis sit penes unum, & sic salvetur pragmatica illa, commoditas autem sit penes alium, ut sic pensio habeat mensuram justitiæ ex qualitate personæ, cujus intuitu motus est Papa. neque tamen etiam moriente naturali illo evanescit gratia respectu personæ contemplata, quia hoc casu titularis se obligat solvere pensionem, dato etiam fidejussore, & scedulâ bancariâ, statis temporibus, quousque pensionarius vixerit. vide de hoc ulterius Lott. à n. 92. Item Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 2. ubi is: solet Pontifex pensionem in beneficiis Hispanis Italo concedere, sed quia ipse Italus nomine proprio obtinere pensionem non potest, ob leges regias & pragmaticas sanctiones, quarit Hispanum, qui pensionem proprio nomine recipiat, & ei obligetur pensionem reddere. Et quidem difficultate non caret, hanc reservationem validam esse; quia est in fraudem & derogatione privilegii remuneratorii à sede Apostolica concessi regni Hispaniæ, ut nullus exterius neque pensionem, neque beneficii Ecclesiastici cum ibidem habere possit, cui privilegio videtur derogari, coacta Italo omni commoditate pensionis, tamen in capite Hispani imponatur, quia nomine tenus tantum imponitur, & fortè ob hanc causam Itali à beneficiario Hispano scedulam bancariam exigunt de solutione Romæ faciendâ; timent enim beneficiarii legibus regni & privilegio regali negaturum solutionem, quod ne contingat, supradicti

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

etiam obligatione præcavent. Concesso itaque validam esse hanc reservationem, vel quia Papa dispensat supra dicto privilegio; vel quia privilegium est, ne exteri beneficium & pensionem jure & titulo proprio in regnis Hispaniæ obtineant, non autem, quòd non obtineant beneficii aut pensionis commoditatem & c.

Questio 528. An pensio imposita beneficio regulari reservari possit seculari?

Respondeo: Clericus secularis non est capax pensionis constitutæ in fructibus monasterii aut alterius beneficii regularis, ex quo non est capax illius beneficii, à qua capacitate beneficii obtinendi capacitate hanc pensionis metimur. ita Lott. l. 1. q. 40. n. 117. citans Gamb. de pot. leg. l. 6. n. 24. 1. ac præcipuè Rot. in Nolan. pens. 10. Jan. 1610. Quamvis dictam rationem responsionis rejiciat n. 130. juxta dicta à nobis supra ex eodem; dum non sequitur, non est capax beneficii, non est etiam capax pensionis super eo beneficio constitutæ.

Questio 329. An regularis seu religiosus capax sit pensionis constitutæ super beneficio seculari?

1. **R**espondeo: Illum illius capax non esse citra Papæ specialem circa hoc consensum & dispensationem. Corrad. in pr. benef. l. 1. c. 5. n. 224. Garc. p. 1. c. 5. n. 139. Castrop. cit. p. 11. §. 3. n. 9. citans Zerol. in pr. Episc. p. 1. v. beneficium. Sanch. l. 7. in decal. c. 29. n. 94. Zech. de benef. & pens. c. 11. n. 7. Mandol. de signat. grat. rit. de pens. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 43. Lott. l. 1. q. 40. n. 117. Idque etiam si admitteretur, regulares quandoque sine Papæ dispensatione capaces esse beneficii curati secularis; nam ex eo inferri adhuc non potest, eos similiter capaces pensionis in beneficio curato seculari constitutæ; quia de beneficio curato providentur ob necessitatem Ecclesiæ, ne fideles remediis ad salutem destituantur, quæ necessitas in reservatione pensionis non procedit. Castrop. l. c. ex Sanch. l. c. sic Lott. l. 1. q. 36. à n. 27. in specie de militibus S. Joannis Hierosolymitani tradit, quòd, quia regulares & religiosi sunt, incapaces sunt obtinere pensiones super fructibus beneficiorum secularium, seu quæ confueverunt secularibus provideri: idque sive sint fratres milites, sive sint fratres Capellani; cum tam hi, quam isti sint regulares, etsi distinguantur ratione ordinis, & alii dicantur constituti in ordine militari, alii in ordine clericali. An verò pari modo incapaces sint dictæ pensionis aliorum ordinum militarium milites, puta S. Jacobi, ex eo; quòd licet propriè regulares & religiosi non sint, cum tria vota substantialia religionis non emittant, sed vivant in conjugio, sint tamen regulares minùs propriè & largè, ob quandam modum regularem vivendi, & quatenus participant in aliquibus, quæ ad statum veræ religionis pertinent, ut ait Lott. l. c. n. 32. 33. & 34. unde & dicantur personæ Ecclesiasticæ, & forum Ecclesiasticum sortiantur, ut idem Lott. n. 35. & 36. an, inquam, ii propter dictum statum suum saltem analogicè regularem pensiones constitutas in beneficiis secularibus obtinere nequeant, non definit *ibidem* Lott. sed l. 1. q. 40. à n. 203. de quo vide dicenda inferiùs, ubi, qualiter per matrimonium extinguatur pensio.

2. Sic in specie de religiosis societatis Jesu tradit Tond. qq. benef. p. 3. c. 196. nu. 22. quòd etiam post vota biennii tam beneficiorum secularium quam pensionum sunt incapaces non secus ac alii religiosi; cum per dicta vota non minùs efficiantur religiosi.

Y 3

religiosi